DISSERTATIO
DE
QUINQUE NEONATORUM MORBIS NOTATU DIGNIS

QUAM

CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORUM ORDINE

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XXI. MARTII M. A. MDCCCXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES HENRICUS DE LINGEN

BREMANUS.

****

OPPONENTIBUS:

SCHIEGNITZ, DRD. MED.
KRIEGE, CAND. MED.
J. BRUNN, CAND. MED.

Cum tabulis duabus lithographicis.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, GENEROSISSIMO, EXPERIENTISSIMO

A. E. DE SIEBOLD

PHILOS. MED. CHIR. ET ART. OBSTETRIC. DOCTORI, IN UNIVERSITATE LITTERAR. BEROLIN. MED. ET ART. OBSTETRIC. PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, INSTITUTI REGII OBSTETRIC. CLINICI DIRECTORI, REGI BORUSSORUM A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, ORDINIS REG. AQUILÆ RUBRÆ, ORDINIS HANNOV. GUELPHOR. EQUITI, REG. COLLEGII MEDICO-TECHN. PRIMAR. MEMBRO, SOCIETAT. CÆSAR. MEDIC. VILNENS. ACADEM. REG. NATUR. CURIOS. SOCIETAT. MEDIC. ÆMULANT. PARIS., IENENS., HANNOV., SCIENTIAR. PHYSIC. ET MED. AD RHENUM INFERIOR., NATUR. CURIOS. SENKENBERG. NEC NON SOCIETAT. SCIENT. AGRICULT. ET ART. RHEN. INF. ARGENTOR. ETC. SODALI,

PRAECEPTORI, SUMMA PIETATE COLENDO,

FAUTORI AC PATRONO, OPTIME DE SE MERITO

ITEMQUE

VIRO

EXPERIENTISSIMO ET PERITISSIMO

DOCTORI

A. HOFFMANN

MISNJENSI, JNSTITUTO REGIO OBSTETRICIO CLINICO ASSISTENTI, BRROLINENSIUM MEDICORUM VERSATISSIMO

HASCE LITTERARUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Proëmium.

Quae describere in hac dissertatione constitui exempla, illorum duo contigerunt in aedibus regiis obstetriciis. Alterum enim, data a praeceptore dilectissimo, Illustr. de Siebold occasione, ipsemet observavi et in tabula secunda delineavi: Alterum memoratu multo dignius, quod in prima tabula depictum curavi, non a me ipso, sed ab Ill. de Siebold observatum est, cujus historiam mecum communicavit ac veniam dedit, utramque rem publici juris facere. Reliqua tria exempla amicus meus carissimus Dr. A. Hoffmann, Misniensis, instituto regio clinico assistens e praxi sua privata libenter mihi impertivit, mihique copiam videndi teneros aegrotantes fecit; cum vero audiret, mihi in animo esse, ut de ea re dissertationem scriberem, me amicissime edocuit quaecunque ante partum, inter pariendum et partu finito illorum infantum factae fuerunt. Demum autem cum alter illorum mortuus fuerit, cadaveris sectioni, quam multo labore et non sine sumtibus Doctoris Hoffmann et meis a parentibus impetravimus, me interesse curavit.

Gratias igitur quam maximas agens his viris, et praecipue praeceptori venerabili Ill. de Siebold ob insignem erga me voluntatem et benevolentiam, eo libentius has res publici juris faciam, quoniam nullus, ut ego quidem scio autor petechias congenitas commemoravit. Sed alia etiam ratione historiae a me narrandae memoratu sunt dignissimae; non solum enim ad petechiarum et icteri, quibus recens nati conflictantur, causas illustrandas lucem adferre et vinculum, quod intercedit his morbis, confirmare videntur, sed aliquid etiam ad naturam tumoris sanguinei explicandam ab iis tribui censeo. Praeterea mea quidem opinione illae historiae probant, sanguinem matris vitiosum, licet non proxime ad foetum transire possit, tamen in foetu inveniri, imo in foetu morbum excitare posse, a quo ipsa mater libera sit. Ita etiam Ed. Jenner *) exempla adducit duarum feminarum, quae gravidae cum hominibus variolis laborantibus convenirent, nec ipsae hoc morbo corriperentur, sed infantes variolis perfectis affectos parerent. (Conferatur de hac re Hufeland's Journal 1827, 1stes Stück pag. 19 et sq.)

Primo igitur historiam partus infantum illorum et quidquid matribus eorum ante, inter et post partum acciderit, exponam, quoniam hoc saepe vim magnam in prolis valetudinem exercet. Deinde variorum auctorum de causis cephalaematomatis externi sententias citabo, ac meam etiam de hac re opinionem proferam, annexis quibusdam de cephalaematomate interno. Denique de petechiis et ictero neonatorum quaestio erit, quorum etiam morborum causas exquirexe studebo.

---

*) Medicinisch-chirurgische Abhandlungen der med.-chirurg. Gesellschaft zu London, übersetzt von Osann, Berlin 1811.

I.

Frederica Müller Halensis, viginti quatuor annos nata, in prima juventute plures morbos variolas, scarlatinam, morbillos feliciter superavit. Interdum etiam glandulis intumescentibus submaxillaribus affecta est. Quatuordecim annos nata ex febre nervosa aegrotavit, qua peracta, eodem adhuc anno menstruatio fluere incepit sine doloribus, justis intervallis et sufficiente quantitate. Initio mensis Augusti anni praeterlapsi gravida reddita per primum graviditatis tempus valetudine satis bona gavisa est, sed taedium perpetuum carnis et ciborum pinguium eam cepit. A quinto graviditatis mense de crebris doloribus in regione lumbali questa est. Die vicesimo octavo mensis Aprilis anni MDCCCXXVII mane hora quarta dolores praesagientes inceperunt, qui sub noctem fortiores et constantiores invaserunt. Hora quinta temporis matutini diei sequentis exploratio manualis hunc statum rerum indicavit. Orificium uteri usque ad thaleri borussici magnitudinem apertum, caput foetus inter aperturam superiorem et mediam oblique situm fuit occipite antrorsum contra symphysin ossium pubis verso, facie in dextram symphysin sacroiliacam et os sacrum spectante; fonticulus triangulus a digito illato post symphysin ossium pubis attingi potuit, latus sinistrum capitis et maxime os parietale sinistrum in osse ileo dextro matris jacuit. Velamenta jam rupta fuerunt. Itaque Ill. de Siebold, ut capitis situs obliquus removeretur, feminam in sinistro latere jacere jussit, quo facilius caput aperturam inferiorem intrare posset. Sed ob dolores gravissimos gravida in hoc situ persistere non potuit et rursus in dorso cubare debuit. Caput paullulum processit, ita, ut inter aperturam mediam et inferiorem sentiretur.

Hora sesquioctava contractiones uteri plane cessarunt, quamobrem pulvis gr. V. secalis cornuti intra horam dimidiam bis ei porrectus est. Doloribus ad partum non redeuntibus et capite in eodem situ persistente, Ill. de Siebold forcipem admovere constituit. Primnm forcipis brachium in dextro latere applicatum est, quamquam minus paene spatium in sinistro latere esse videretur ob ingentem tumorem sanguineum, quem postea describam. Sed caput magis contra dextrum latus stare praeter alia signa eo maxime perceptum est, quod orificium

uteri in sinistro latere minus apertum fuit. Aliquot tractionibus factis, forceps ob situm obliquum capitis elapsa est, et iterum inferri debuit. Tum hora undecima praeterlapsa infans prodiit, perinaeo matris leviter laeso. Funiculus umbilicalis valde laxus et minime tortus collum infantis circumplectens super caput retractus est. Neonatus asphycticus idoneis remediis recreatus |malae nutritionis manifestissima signa ostendit, habitum laxum, cutem rugosam praecipue faciei, frigus insigne extremitatum inferiorum, quorum cutis sicut post exanthema sese desquamavit, ungues autem perfecte exculti et adulti fuerunt. Sed pleraeque abnormitates in ipso capite animadversae sunt. Tumor permagnus fere totum sinistrum os bregmatis occupavit, et omnis hic locus sugillationibus et varicibus ita coopertus fuit, ut speciem morbi coerulei praeberet (Vid. Tabul. I.) Dextrum capitis latus tumore molli, fluctuante et circumscripto, inter cranium et pericranium sedente, a medio osse parietali incipiente et usque ad os occipitis porrigente multo deformius fuit, quam sinistrum. Tumor in hoc latere ab initio tensus et elatus diebus sequentibus crevit, cuius basin digito pressam annulus osseus circumdare videbatur. Pauci modo capilli in capitis cute erant, quae eo tantum, quod tumore extendebatur, minorem laxitatem ostendebat. Cutis faciei, colli, pectoris et extremitatum superiorum petechiis oppleta erat, quae etiam in dorso, sed numero rariores apparebant; primo coloris intense rubri, paullo post e rubro coerulei, postremo coerulei margine lurida, imo etiam nigra. Praeterea in naso et parte superiori pectoris purpura alba conspiciebatur, quae etiam usque ad mortem perstabat.

Abdomen non quidem elatum sed tensum pelli aspera, sicca et furfuracea coopertum erat. Scrotum molle ct collapsum testiculos nullos continebat.

Puer pondere erat VII. Libr. Berolinensium, s. IX et dimid. Libr. medicinalium.
Circuitus capitis — — XVI et dimid. pollices Berolin.
Diameter transversalis — III. pollic. XI. lineas.
— longitudinalis — V. — III et dimid.
— diagonalis — V. — XI. — continebant.

In secundinis nihil praeter naturam animadvertebatur, nisi chorii et amnii a placenta seiunctio.

In pueri auxilium vocata sunt balnea, quibus vinum admixtum erat et tumore sanguineo admovebantur fomentationes aromaticae,

Pridie ante Calendas Maias mater satis bene se habuit, fluxus lochiorum regularis, secretio lactis copiosa fuit. Infautis tumor sanguineus aliquot lineis increverat, cutis intensius flavebat, petechiae etiam numero auctae erant ac sugillationes circa os frontis conspiciebantur ad tempora usque disseminatae.

Ob nimiam imbecillitatem infans mammas prehendere non potuit. Ideoque drachmae aliquot lactis ab aliena puerpera desumpti, admixto infuso seminis Foeniculi, repetitis vicibus ori infantis instillatae sunt. Non minxit et alvus nigra et foetida est soluta.

Calendis Maii matri ob nimiam secretionem lactis solutio natri sulphurici propinabatur. Tumor infantis auctus, purpura alba in pectore frequentior prorupta, secretio urinae nulla, suctus mammae prohibitus.

Secundo die mensis Maii icterus neonatorum completus adfuit. Tumor sanguineus magnitudine increverat. Cum igitur nullo modo sperari posset, tumorom fomentationibus aromaticis ad resolutionem tendere, facta est incisio unius et dimidii pollicis longitudine a sutura sagittali incipiens in osse bregmatis dextro oblique contra occiput decurrens, quae a sutura lambdoidea uno pollice remota desiit. Circiter magnum cohlear sanguinis dissoluti, putrefacti et olentis effluxit. Parietes tumoris crassae et asperae fuerunt. Margines vulneris emplastro adhaesivo contractae et linteolo plicato coopertae sunt; praeter ea usus fomentationum aromaticarum et balneorum continuatus, sed eodem die post meridiem puer mortuus est.

Cadaveris sectio.

Altero die habitus corporis magis collapsus, color multo flavior, abdomen valde tumens et extensum, color ossium in tumore e fusco ruber fuit. In dilatato tumoris vulnere multum sanguinis nigri et coagulati apparuit, qui etiam in alias partes superficiei cranii diffusus erat, maxime in dextro latere, cuius ossa bregmatis tenuiora et rubriora fuerunt. Ossa valde mobilia, interstitium inter ossa parietalia, qnod fonticulum maiorem et suturam sagittalem format, insolitae magnitudinis. E cavitate cranii odor sui generis prorupit; ecchymoma magnum inter cranium et duram matrem eodem loco, quem externe tumor sanguineus occupavit inventum, ita ut quasi tumorem sanguineum internum formaret.

Substantia corticalis cerebri et ex minori parte etiam illa cerebelli pigmento flavo tincta, vasa cerebri non valde sanguine plena, sed in basi cranii sanguis extra vasa repertus est.

Nunc pectus aperitur. Sub cute paululum adipis intense flavae fuit, et aperta cavitate pleura idem odor sui generis sparsus est, qui in cavitate cranii sentiebatur. Pulmones ex albo subflavi erant praeter partem posteriorem et inferiorem, quae secundum naturam monstrabant colorem. Pericardium extensum circiter cochlear seri flavi continebat; cor ipsum pallidum, parvum; vasa coronoria non nimis dilatata, ventriculus dexter vacuus, sinister nihil praeter sanguinem coagulatum continens, foramen ovale apertum.

In abdomine intestina, maxime colon adscendens et rectum multas maculas leviter gangraenosas ostenderunt. Ceocum et colon descendens inflata; hepar parvum, flavum et exsangue, cystis fellea succo mucoso et albido plena; vesicula urinaria parva et contracta; testiculus sinister usque ad annulum abdominalem erat descensus.

II.

Carolina M . . . . r XXIX. annos nata, quae sine nutricis lacte adolevit, a prima iuveutute haud bona valetudine fruita, menstruationem demum anno XXI aetatis obtinuit. Haec anno vigesimo aetatis nupta quater partus maturos et bis partus praemaruros edidit, in quorum ultimo multum sanguinis perdidit. Nullas alias partus praematuri potuit indicare causas, quam quod gravida in re familiari administranda saepe labores ferre debuisset.

Septimo mensis Novembris die anni MDCCCXXVI hoc institutum adiit, de vomitu frequenti, doloribus in regione lumbali, alvo tarda, lassitudine eximia et dysphoria, ac de cessatis mensibus querens. Exploratio manualis haec ostendit; regio hypochondriaca dextra ab inflato hepate elata et dura fuit; inde dolorem acerbum usque ad hypochondrium sinistrum et paene in tota regione hypogastrica ab attrectatu sensit.

Exploratione interna prolapsus vaginae partialis, retroversio uteri cum inflammatione chronica eius reperiebatur. Contra inflammationem uferi sicut contra inflammationem hepatis in regione pubis et hepatis hirudines adhibitae, pulveres Calomelanos et emulsio Amygdalarum dulcium cum gumm. Mimosae, aqua Lauroceras, et aqua flor. Chamomill. porrecti sunt.

Post hoc tempus bene se habuit usque ad paucos dies ante partum, quo tempore dolores in hypochondrio dextro redierunt. XXXI. die mensis Maii, cum iam actus partus incepisset {benevolentia perill. de Siebold feminam videre atque explorationem facere mihi concessit. Facies sicut paene omnis cutis colore flavo tincta, regio hypochondriaca dextra dolorifica et inflata fuit, in femore et crure varices animadverti. Exploratione per vaginam praeter ea, quae iam supra post priorem cxploratiorem narrata sunt uterum usque ad magnitudinem nummi octo grossorum apertum et situm normalem secundum inveni. Contractiones uteri debiles et rarae, Quam ob rem ol. Hyoscyam. coct. abdomini infricatur iniectionesque vaginae instituuntur et ne hepar ab utero prematur, gravidam in latere sinistro iacere iussum est.

Hora decima et dimidia praeterlapsa velamenta contractione uteri rumpuntur et post integram horam puer natus est. Ne maior pars uteri aut vaginae prolaberetur prolapsus digitis repressus est. Infans nihil praeter naturam exhibuit nisi rugas capitis et faciei, ex quibus iudicium immaturitatis eius liquet.

Pondus eius erat 6¼ Libr. Berol. et secundinae Libr. unam Berol. penderunt.

Mater post partum bene se habuit. Hypochondrium dextrum, quamquam hepar paene usque ad umbilicum sese extenderat, minus doluit.

Die sequenti cum maxime in facie, tum etiam in pectore et reliquo corpore infantis, maculae rotundae non super cutem eminentes, coloris e coeruleo rubri apparuerunt, quas petechias esse cognovimus. Respiratio infantis et excretiones normales, libenter mammam prehendit. Ad excitandas vasorum vires balnea aromatica adhibentur. Puerperae doloribus post partum et obstructionibus affectae ol. Hyoscyami in regione hypogastrica infricatur et ad usum internum olei Ricini cochlear omni tertia hora datur. Lochiorum secretio regularis. Usque ad quartum eiusdem mensis diem puerpera satis valida erat, quo die dolores in hypochondriis augebantur et usque ad regionem lumbalem sese extendebant, in humero etiam dextro dolor sentiebatur.

Pulsus fuit frequens, durus, contractus; respiratio accelerata, oculi splendentes et omnia signa hepatitidis adfuerunt, quamobrem venaesectio unc. X. instituta et interne kali tartaricum cum magnesia carbonica datum est.

Infanti, nihilo minus lactenti contra diarrhoeam biliosam magnesia carbonica data est Circa diem decimum post partum petechiae infantis sensim sensimque evanuerunt. Mater etiam convaluit, et die XXXI. mensis Junii ambo ex instituto dimitti potuerunt.

III.

Friderica Müller triginta octo annos nata, staturae mediae, constitutionis corporis infirmae, in prima pueritia semper valuit. In matrimonio suo septem infantes sanos sine artis adiumento peperit. Graviditas octava multas ei molestias attulit, initio eius frequenti nausea et vomitu affecta et de dolore perpetuo in hypochondriis questa est. Mense graviditatis sexto e febri tertiana intermittenti aegrotavit, quae post tres hebdomades remediis idoneis cessit. Ab hoc tempore satis validae Dr. Hoffmann nihilo minus ob colorem flavum faciei morbum hepatis suspicans, interdum medicinam alvum solventem ordinavit.

Decimo mensis Octobris die dolores ad partum incesserunt. Dr. Hoffmann sub vespere arcessitus, tertiam partus periodum incepisse invenit. Contractionibus uteri fortibus caput infantis lente processit. Sub initio periodi quartae femina aliquoties vehementer vomuit, vomitus multa bili viridi mixtus odorem foetidum sparsit.

Praeterea parturiens de infantis motibus fortioribus, multos dolores sibi facientibus questa est. Excluso capite, Dr. Hoffmann funiculum umbilicalem bis circum collum infantis tortum esse invenit, quo lege artis soluto, truncus et extremitates infantis contractionibus uteri expulsae sunt. Funiculus umbilicalis paene per dimidiam horam leviter pulsavit, tum

circumligatus et abscissus est. Respiratio ab initio prohibita, consperso infante pauxillo aquae frigidae liberior evasit. Cum puer, nam is erat infans, lavaretur, Dr. Hoffmann ingentem numerum macularum in corpore eius sparsarum animadvertit, quae inprimis faciem pectusque infantis occupaverunt. Hae maculae sub digito non evanuerunt, nec super cutem eminentes fuerunt. Ex his aliisque signis Dr. Hoffmann, petechias esse cognovit. Praeterea omnis cutis et ipsa sclerotica oculi colore flavo tincta fuit, ita ut icterus etiam completus neonatorum adesset. Ceterum puer validus libenter etiam mammam prehendit. Sequenti die, cum idem adhuc status exanthematis esset, Dr. Hoffmann hunc linctum ordinavit.

R. Syr. Rhei unc. I
Magnes. carbon. drach. dimid.
▽ Foenicul. unç. et dimid.

cuius nonnulla cochlearia parva quotidie infanti instillarentur.

Tertio die Dr. Hoffmann a matre audivit, puerum satis tranquille dormiisse, multumque meconii ab eo evacuatum esse. Ita quotidie puerum observans medicus colorem petechiarum omni triduo minui animadvertit, ita ut nono die paullulum modo per epidermiden pellucerent et decimo die ultimum earum vestigium evanuisset. Desquamatio cutis non animadversa est. Infans satis validus, mammam libenter sugens et excrementa coloris normalis exinaniens nunc curae matris traditur. Tribus hebdomadibus praeterlapsis Dr. Hoffmann iterum arcessitus infantem macerrimum invenit, ventrem eius paullulum inflatum; puer vehementer inquietus saepe mammam prehendit, alvus eius liquida et viridis odorem putridum sparsit. Ex triginta sex horis mater se vidisse confirmavit, infantem convulsionibus extremitatum laborare, manusque eius interdum spasmis tonicis contrahi. Dr. Hoffmann convulsiones quidem animadvertere non potuit, nihilo minus tamen hoc ordinavit

R. Flor. Zinci gr. $\frac{1}{8}$.
♁ Rad. Rhei el. gr. I.
Magnes. carb. gr. II.
Sacch. alb. gr. X.
M. F. pulv.

Porro clysmata aliquot amyli adhiberi et ol. Hyoscyami coctum ventri infricari iussit. Tum per aliquod tempus infans melius se habuit. Sed post quindecim diebus puer cholera gravi affectus, in qua lac coagulatum vomitu et alvo excretum est. Tertio die ante mortem infantis petechiae rursus in cute conspectae sunt, sed numero rariores, nec coloris tam intense coerulei. Tum ob amicitiam erga me Dr. Hoffmann concessit, ut ipsemet infantem viderem. Petechiae solitariae maxime in collo et facie facile cognosci potuerunt. Apud puerum macerrimum venter tamen inflatus, vox debilis, oculi collapsi, buccae cavae apparuerunt et facies hippocratica adfuit.

Licet omnia, quae ars praebere potest adhibita sunt, digestio tamen obruta recreari non potuit, et ita septima vitae hebdomade puer universa imbecillitate supremum obiit diem.

Vehementer dolendum est, parentes nullo modo sectionem infantis nobis concedere voluisse.

IV.

Materfamilias Hassagen XXXVI annos nata, staturae mediae, constitutionis tenuis semper difficile partus edidit. Quatuor infantes vividos peperit, quorum unum forcipe adjuvante enixa est. Anno MDCCCXXVI rursus gravida usque ad quartum mensem bene valuit. Sed tum temporis, cum vas pergrave sustulisset, repentino horrore perfusa dolores acerrimos in regione lumbali sensit et paullo post abortum fecit. Medio mense Junio denuo gravida per totam graviditatem doloribus in regione lumbali et sacrali, susurru aurium, cephalaea et interdum vertigine vexata est. Die XXII mensis Decembris repente aquae defluxerunt, cuius rei mulier causam nullam afferre potest. Tum motus infantis fortiores evaserunt, dolores in regione lumbali aucti sunt; nonnullis diebus post dolores praesagientes et nocte inter diem XXX et XXXI mensis Decembris dolores ad partum initium ceperunt, quamobrem Dr. Hoffmann arcessitus est. Contractionibus uteri lentis hora tertia puer asphycticus, qui vero remediis idoneis ad se rediit, natus est. Vox eius ab initio debilissima, respiratio prohibita et calor cutis exiguus fuit. Infans minimus et valde infirmus pondus quatuor librarum Berolinensium habuit. Cum contractiones uteri nimis imbecilles essent, Dr. Hoffmann manu fundum uteri pressit, quo facto hora quarta secundinae exilissimae at carnosae exclusae sunt. Infanti debiliori, quam ut mammam sugere posset, lac maternum instillari debuit, nonnunquam etiam paullulum infusi seminum Foeniculi datur; praeterea clysmata juris e carne columbina cocti ad nutriendum infantem ordinata, et ad roborandam cutem lotiones cum infuso vinoso herbarum aromaticarum praescriptae sunt.

Sequenti die Dr. Hoffmann venas intense coeruleas per cutem infantis pellucere vidit ac in toto corpore, maxime in capite et pectore, minus in ventre et pedibus multitudinem petechiarum ex rubro coerulearum observavit.

Quindecim diebus praeterlapsis, cum infans mammam prehendere posset, puer paullulum viribus crevit, calor cutis auctus est et petechiae paene omnino evanuerunt. Sed vicesimo primo die petechiae iterum apparuerunt, quamobrem die mensis Decembris XXIII Dr. Hoffmann benigne ac iiberaliter fecit, ut studiosum medicinae Leonhardt, popularem meum, ac me ipsum secum ad aegrotum duceret. Petechias numerosissimas coloris pallide coerulei

invenimus, quas antea coloris intensioris fuisse a parentibus cognovimus. Praeterea in extremitatibus inferioribus pemphygus adfuit, qni secundum testimonium parentum demum post paucos dies exstitit. Praeterea a parentibus audivimus, infantem adstricta alvo laborarc, quare syr. Rhei cum aqua Foeniculi ordinatus est. Sexto mensis Februarii die cum Dr. Hoffmann denuo mecum infantem visitaret, in extremitatibus inferioribus adhuc vestigia pemphygi conspeximus. Petechiae plane evanuerant, sed adspectus paene omnis corporis, et maxime capitis et pectoris pallide coeruleus fuit a multitudine ecchymomatum sanguinis venosi sub cute, quae tamen sub digito evanuerunt. Epidermis asperrima magnis squamis soluta est et quidem maxime in iis partibus, ubi antea pleraeque petechiae fuerant. Puer obstructiones pertinaces passus est; testiculi nondum plane descenderant.

XXVI mensis Februarii die postremo infantem vidi. Facies eius adhuc colorem subnigricantem retinuerat, quod vero non ab ecchymomatibus, sed ab inopia turgoris vitalis dependere videbatur. In capite tinea aderat; ceterum pro exilitate et marcore infans satis validus. Extremitates eius candidae quasi e cera formatae videbantur. Ungues exculti erant, testiculi descenderant.

V.

Carolina Schulze, uxor sartoris XXXI annos nata, femina valde sensibilis et hysterica, in prima graviditate forcipis ope peperit, ex quo tempore prolapsum partis anterioris vaginae et uteri incompletum quoque sequenti partu crescentem retinuit. Quintum infantem septem tantum menses in utero gestavit, neque ullam aliam partus praematuri rem accusare potest, quam crebros in regione lumbali dolores et prolapsum uteri. Infans a Dr. Hoere in pedes versus, macerrimus et debilis, nihilominus aetatem anni unius acquisivit, ubi atrophia mortuus est. Sextus infans maturus quidem, sed etiam imbecillis natus, hoc tempore e scrophulosi et kyphosi aegrotus est. Mense Februario anni praeterlapsi iterum infantem septem mensium peperit, qui unum modo diem vixit. Initio mensis Junii octavum concepit, neque haec etiam graviditas sine molestiis transiit; ab initio de vomitu acerrimo, doloribus in abdomine, nunc crescentibus nunc decrescentibus questa est, quamobrem Dr. Hoffmann adcitus omne abdomen valde sensibile reperit, feminamque siti fragranti vexari et saepe obstructionibus alvi laborare, certior est factus. Quamobrem venaesectionem Unc. XII ordinavit, quae autem non facta est, et emulsionem papaverinam cum natro sulphurico praebuit; quo facto dolores post aliquod tempus sponte minuti sunt.

A quinto graviditatis mense motus vividos infantis sensit, quo tempore ob aegrotum infantem nuperrime natum saepius noctu e lecto surgere debuit. Tum motus infantis convulsivi exorti sunt, qui matri multos dolores fecerunt. Sub finem mensis Decembris doloribus

in regione lumbali auctis stillicidium sanguinis e vagina exorta est, quae omnia usque ad diem XXIII mensis Januarii perpessa est, quo dolores ad partus coeperunt. Tum Dr. Hoffmann iterum advocatus est. Mulier de doloribus acerbis, a regione mesogastrica in hypogastricam et inguinalem transeuntibus questa est; exploratione per vaginam facta Dr. Hoffmann intellexit, jam secundam partus periodum ingressam esse.

Cum post horam velamenta sponte rumperentur, paucis contractionibus uteri caput infantis prodiit et paullo post et truncus cum extremitatibus expulsus est. Funiculus umbilicalis pulsum habuit frequentem, qui autem mox plane cessavit. Circumligato eo puer in balneo calido impositus clamore imbecilli vitam suam manifestavit. Hoc vespere Dr. Hoffmann nihil aliud insigne, quam infantis exiguitatem et marcorem animadvertit, nam pondus eius circiter librae quinque et dimidia erat. Postero die autem faciem eius paene omnem, praecipue halones oculorum coloris e coeruleo nigricantis a multitudine ecchymomatum invenit, quae si digito premerentur, singulae maculae conspectae sunt, quas forma, magnitndine colore et ceteris symptomatibus petechias esse, dubitari non potuit. Ecchymomata similia in dextro brachio, in regione sacrali, in manibus et parte antibrachii et in duobus femoribus usque ad genu adfuerunt. Calor cutis deminutus, suctus mammae difficilis fuit. Dr. Hoffmann spir. camphorat. et spir. Lavendul. aa ordinavit, quibus puer quotidie lavaretur; et cum alvus parca esset, syrupum Rhei adhibuit. Die quinto infans toto corpore colore flavo tinctus est et ipsa sclerotica oculi flava evaserat, ita ut icterus perfectus adesset. Die XXIX mensis Januarii Dr. Hoffmann hoc gratissimum mihi fecit, ut mihi et amico meo C. Leonhardt, Bremano, occasionem daret, aegrotum infantem adire. Petechiae perspicuae adhuc erant, sed pallidiores quam antea; puer perexiguus lanugine adhnc tectus erat, testiculi nondum plane descenderant, facies maxime et pectus colore flavo infecta erant, sed etiam reliquum corpus; alvus viridis evacuabatur, infans tussi perpetua affectus erat. Respiratio difficilis.

Quinto mensis Februarii die petechiae in cetero corpore cesserant, sed planta pedum et sinistrum brachium antibrachiumque colorem subnigrum adepta sunt et in planta pedum, si accuratius spectabatur, petechiae adhuc apparuerunt. Sub digito premente color niger bracchii sinistri et plantae pedum evanuit, sed tum petechiae singulae magis perspicuae redditae sunt. Calor cutis perexiguus erat.

Septimo mensis Februarii die ob alvum obstructam clysma applicatur; paullo post repente asthmate gravissimo infans corripitnr; spiritus tum plane cessans, tum a multitudine muci, quem frustra tussi ejicere studet, stertens, puer saepe hiante ore aërem captat; nonnunquam singultus. Color faciei coeruleus, interdum etiam, ut parentes contendunt, e flavo viridis; tum omnis vita exstincta videtur, infans pallidus, frigidus, paene sine motu iacet, ut aliquoties pro mortuo haberetur; deinque antem sensim sensimque ad se rediens colorem satis sanum recipit, et in profundum somnum cadit, e quo expergefactus satis bene se habet.

Paroxismus circiter quadrantem horam duravit et ferme omni bihorio rediit, maxime si infans mammam prehendit, quo suctu respiratio difficilior redditur.

Hanc ecclampsiarum descriptionem imperfectissimam ex ore parentum sumsi, cum neque Doctori Hoffmann neque mihi contigerit, morbum observare. Hoc tamen conjicere licet, a specie aliqua asthmatis infantem correptum fuisse, quod etiam extra dubitationem posuit ipsa cadaveris sectio. Quaerentibus nobis causam mater dixit, se facile ira deflagrare quod facile credam, cum vehementer hysterica sit, qua re, credidit, lac suum infanti noxium fuisse. Tandem mane diei XI mensis Februarii in tali paroxismo puer obiit.

Calor infantis post mortem albus erat, praeter faciem et femora, quae leviter flavescentia adhuc essent, praeterea in femoribus epidermis sese desquamavit. Petechiae paucae et e coeruleo nigricantes in planta pedis conspectae sunt. Radices unguium digitorum coeruleae, brachium sinistrum pallulum adhuc nigricans, macula oblonga, paene telangiectasiae similis in palpebra sinistra et similes in labio superiori et in auriculis sedebant. Quae omnia iam brevi tempore ante mortem conspiciebantur. Multa lanugo, maxime in femoribus et facie. Aphthae nullae et in ore et in orificio ani percipiebantur. Infans macerrimus et rugosus erat.

Die tredecimo mensis Februarii ad sectionem faciendam Dr. Hoffmann Doctorandum C. de Siebold, filium Ill. de Siebold et me adsumsit.

Primo abdomen aperitur. Musculi exsangues, paene albi. Hepar paullo obscurius quam alias, ligamentum suspensorium in dextro latere e flavo viride tinctum; cystis fellea bili viridi plena; lien etiam magis fuscus quam in statu normali; in ceteris intestinis nihil praeter normam inventum est, neque sanguis, nec serum extravasatum in cavo peritonei adfuit.

In aperiendo pectore eundem musculorum colorem pallidum observavimus, in cavo pleurae aquam nullam. Lobi superiores pulmonis coloris normalis, e rubro candicantis cum cultro inciderentur sonum etiam stridentem ediderunt et in aquam iacti innataverunt, sed magna pars lobi inferioris pulmonis sinistri et etiam pars lobi infimi pulmonis dextri coloris fusci, hepati etiam consistentia et densitate similis fuit. Quae partes cum cultro inciderentur, stridor nullus auditus et etiam substantia eadem fuit, quae hepatis; si leniter digitis compressae sunt, in locis iucisionis multas guttulas puris conspeximus, et in aquam deiectae statim demersae sunt.

Cor cum pericardio magnum thoracis partem occupavit, cuius rei ut causa quaereretur pericardium caute incisum est. Effluxit circiter dimidium cochlearii magni feri flavi, quod odorem hepatis recentis sparsit, et saporem amarum et salsum habuit. Cor ipsum sanguine coagulato, venoso refertum, magnitudine auctum; atria, auriculae coloris coerulei, venae etiam coronariae cordis, aorta, venae cavae, arteriae etiam pulmonales sanguine subnigro extensae erant. Aorta incisa ductum arteriosum Botalli apertum, et atrio sinistro patefacto foramen

ovale ita hians reperimus, ut caulis pennae tenuior traiici posset, valvula Eustachii adhuc integra fuit. Ventriculi minorem sanguinis quantitatem, quam ceterae partes cordis continuerunt et nihil abnorme ostenderunt. Ceterum sanguine ex atriis et vasis cordis evacuato, cor ad iustum magnitudinem rediit.

Capitis aperiendi venia a parentibus non data est, quod autem non valde dolendum esse credo, cum nulla signa abnormitatis aut morbi cerebri aut meningum adessent.

De tumore sanguineo.

Primam, quam narravi historiam, eo etiam memoratu esse dignum, credo, quia observationem Doctoris Hoere de tumore sanguineo interno confirmat.

Diagnosis.

Symptomata considerantes inveniemus, in hoc casu tumorem sanguineum cum capite succedaneo complicatum fuisse. Sedes tumoris in dextro osse bregmatis pervulgaris est, porro annulus osseus, qui sentiebatur huic tumori proprium est, erat etiam circumscriptus, elasticus. Pulsatio, quae abfuit, non est constans signum 1). Quod cuti non concolor erat, a complicatione cum capite succedaneo derivandum est. Sanguis, qui ex inciso tumore profluxit secundum testimonium celeberrimorum auctorum variae est naturae. Primis diebus purpureus, deinde ater et crassus et postremo coagulatus 2), sed interdum etiam sanguis ater et tenuis profluit 3). In hoc casu sanguis ater, tenuis et dissolutus effluxit, quod quidem et magna ex parte ab universa sanguinis dissolutione infantis dependebat et forsitan a complicatione cum capite succedaneo, quod partu difficili et forcipe adhibita exoriebatur.

Injicere posset aliquis, non tumorem sanguineum hoc fuisse, sed contusionem forcipe premente procreatam, sed tum, sicut Zeller recte monet 4), „sanguis effusus nunc in tela cellulosa, nunc sub cute colligitur, nunc sub galea aponeurótica, imo pericranium inter et calvariam accumulatur et in tumorem accrescit, qui his tantum signis a cephalaematomate nostro distingui potest: cutis intumescit, dolet, rubens primo, deinde coerulea et livida aut nigricans conspicitur, incisa sanguinem in minoribus ipsius et telae cellulosae vasis copiosius coacervatum, imo infarctum ostendit. — Evanescentibus vero (quod facile fieri potest) hisce cutis signis permanente sanguinis effusione, nullum inter hunc tumorem et haematoma nostrum signum remanebit, quod etiam in illis casibus accidit, in quibus contusionibus vehementioribus ecchymoses quidem, nulla vero cutis mutatio efficitur." Momentum igitur prae-

1) Cf. Naegele im Journal der praktisch. Heilkunde von Hufeland. Berl. 1822. St. 5. Mai. p 4 et 13.

2) Cf. Hoere Dissert. de cranii tumore. pag. 22.

3) Chelius 2ten Bandes 1ste Abthl. §. 1578.

4) Zeller commentarius de cephalaematomate. Heidelb. 1822.

cipuum, quod interest inter tumorem sanguineum et contusionem illud est, quod in contusionibus sanguis tum sub galea aponeurotica, tum sub ipsa cute in tela callulosa invenitur.

In hoc autem casu sanguinem inter cranium et pericranium accumulatum reperimus. Primo quidem sugillationes a forcipe premente aderant, sed magis in sinistro quam in dextro osse parietali. Sed hic etiam tumor contusione nasci non potuit, cum iam ante applicatam forcipem adfuisset. Propter haec symptomata dubitari non potest, hoc fuisse verum et genuinum tumorem sanguineum.

Mirum quidem videri potest, quod tumor, qui plerumque post partus leviores oriri solet, ibi post partum difficilem et tardum sese exhibuit, sed sicut Hoere 1) recte monet, fortuito etiam alia causa in partubus difficilibus protuberare potest. Neque desunt huius rei exempla 2). Hic etiam tumor sanguineus certe alia causa effectus erat, cum iam ante applicationem forcipis sentiretur. Adnati huius tumoris complures etiam existunt exempla. Tale commemoravit Hoere 3); imo Naegele 4) et Zeller 5) credunt, semper adnatum fuisse infantibus hunc tumorem. Osiander etiam exemplum profert, ubi tumor iam ante aquas effluxas ab obstetrice sentiretur.

Chelius 6) tumorem sanguineum internum existere negat. Credere igitur videtur, sanguinem per fissuram ossis bregmatis e superficie externa ossis in cavum cranii inter cranium et duram matrem transiisse, cui tamen opinioni os in interiori lamina corrosum, in exteriori parte sanum contradicat. Sed in exemplo a me proposito de transitu sanguinis quaestio esse non potest, quod os parietale tenuius quidem et rubrius quam alias, sed tamen non corrosum et permeabile esset.

Aetiologia.

De causis tumoris sanguinei auctores valde inter se discrepant. A plurimis e. g. Fleisch 7) et Osiander 8) species illa, quam Michaelis 9) et Palletta 10) describunt, ubi exterioris tabulae cranii pars deficit, diploë autem plerumque varicosa invenitur aut plane ab-

---

1] Dissert. pag. 13.
2] Ibidem pag. 14.
3] Von Siebolds Journal 5. Bandes 2. St. pag. 223.
4] Salzburgisch. medic. chirurg. Zeitung. Bd. IV. 1819. Nr. 88. pag. 159. 160.
5] Zeller Comment. de Cephalaematom. Heidelb. 1822.
6] Chelius am angeführtem Orte. §. 1579.
7] Carl Bernh. Fleisch Handbuch der Kinderkrankheiten pag. 195.
8] Fried. Benjam. Osianders Handbuch der Entbindungskunst. Bd. II. Abthl. 2. Tübing. 1821. §. 105.
9] Loders Journal für Chirurgie. 2. Bd. St. 4. pag. 627.
10] Palletta Exercitationes pathologicae Mediol. 1820. Capit. X. pag. 124. 125.

est, seiungitur, cum perrara et in vulgari tumore sanguineo os ipsum non affectum sit. Sed dubium est, annon corrositas et asperitudo ossis sequela sit sanguinis corrupti, quia tumor sanguineus serius incideretur, aut iam longe ante natum aderat, ut Naegele credit 1). Simile exemplum Dr. Hoere in dissertatione sua tabulis aeneis delineavit.

Osiander 2) cum aliis permultis, tumores illos a causa mechanica gigni, contendit; si enim vasa, sanguine nimis repleta inter fenestras forcipis conprimerentur, facile ecchymosin gigni, quae maxime in ossibus bregmatis sedem haberet, cum hoc loco compluria emissaria ossa permearent. Hoere 3) observavit, nunquam tumorem sanguineum existere, si orificium uteri longe ante iustum graviditatis terminum apertum fuerit; porro si aquae tempus aliquod ante partum effluxissent, caput quidem succedaneum, nunquam vero tumorem sanguineum existere. Peracuta est sententia Doctoris Hoere, qui causam tumoris sanginei in eo quaesivit, quod vertex capitis est locus inferior, in quem ea de causa plus sanguinis mitteretur, quo inflata et dilatata vasa aut iam ante partum aut post partum, ubi maior est sanguinis versus caput et cerebrum impetus, rumperentur. Sed postea ab hac sententia discedit, quia post partum, ubi clunes praeviae erant, tumorem sanguineum in capite observavit 4), et ob alium casum partus agrippini, quem Zeller narrat.

E p i c r i s i s.

Cum tot viri eruditissimi et doctissimi de aetiologia morbi non satis sibi constent, vix audeam, aliquid do hac re dicere, cum ne experientia quidem ductus loqui possim, nam tantum duo exempla observandi mihi contigit occasio in scholis clinicis perill. de Siebold, ubi emisso sauguine os bregmatis sanum inventum et brevi tempore vulnus clausum est. Sed venia sit mihi, precor, quod secundum observationes aliorum de causis mihi videatur, proferre.

Ad opinionem meam me praecipue dissertatio Drs. Hoere perduxit, qui praeter causam mechanicam etiam dynamicam inducit. Itaque quoad causas tumores sanguineos externos dividam I) in eos, qui a sola causa mechanica oriuntur, et II) in eos, qui et a causa mechanica, tum maxime autem a dynamica originem ducunt.

I.) Tumores sanguinei sola causa mechanica orti.

Tales sunt secundum Osiander, qui post applicatam forcipem existunt; si enim nimirum fenestris forcipis pars aliqua capitis premitur. Sed tumorem sanguineum maxime in

1] Naegele Erfahrungen und Abhandl. aus dem Gebiete der Krankheiten des weiblichen Geschlechts. Mannheim 1812. pag. 24. 25.

2] Osianders Handbuch der Entbindungskunst. Bd. II. Abthl. 2. pag. 208.

3] Dissert. pag. 35.

4] In eadem. pag. 37.

ossibus bregmatis sedem habere, in eo positum esse credo, quod eo loco plurima vascula emissaria ossa penetrant, ac deinde, quia ossa bregmatis maximam habent mobilitatem, quare facillime hoc loco vasculis disreptis sanguis effluere potest. Hoc maxime in obliquis sitibus infantis fieri potest, ubi brachia forcipis oblique adhiberi debent, qua de causa galea aponeurotica magis in latus unum capitis trahitur, et sic emissaria Santorini extensione rumpuntur. Cum vero haec vasa in ossibus fixa extendere sese nequeant, extensione nimia proxime ossa rumpent, et sanguis igitur inter cranium et pericranium effluet, nam inter galeam aponeuroticam et pericranium vasa in tela cellulosa libere iacentia, satis sese extendere possunt. Ita sola locomotione galeae aponeuroticae in alio loco, quam ubi forceps applicata sit, tumorem sanguineum nasci posse, opinor. Sed eadem de causa demum aliquod tempus post partum oriri puto, cum passim passimque sanguine effuso pericranium a cranio dirimeretur. Ita fieri potuit, ut non statim post partum arteficialem tumor sanguineus observaretur.

Simili modo fit, si caput succedaneum tumori sanguineo autecessit, aut cum eo coniunctum est, quod quidem maxime post partus difficiliores et tardiores existit. In quibus enim, si ossa capitis comprimuntur et galea aponeurotica complicatur, facile fieri potest, ut vasculum quoddam efferens dirumpat, qua re serius, et saepe quidem iam sublato capite succedaneo, tumor sanguineus nasci potest.

Saepe etiam tumor sanguineus eo gignitur, ut pars aliqua capitis infantis ad ossa pelvis adprimatur, quod in casu a me narrato sine dubio causa coëfficiens erat; nam tumor os bregmatis dextrum occupavit, quae pars maxime ad os ilei dextrum matris adpressa fuerat.

Haud negligenda mihi videtur causa, quam Hoere pag. 36. a situ verticis capitis infimo desumit, qua re sanguis affluat et vasa distendat.

II.) Tumores sanguinei et causa dynamica et mechanica nascentes.

Hoc modo multo crebrius mihi oriri videntur. Ita rarius post applicationem forcipis tumor sanguineus nascitur, quoniam, si forceps indicata sit, plerumque infans permagnus et robustus est, cuius vasa sanguinea maiorem habent elasticitatem. Si contra apud infantem parvum ac debilem forceps indicata erit, (quod autem perrarum est, quoniam caput talis infantis et minus est, et ossa eius facili modo flecti possunt), eo facilius tumor sanguineus orietur, quo minus vasa sanguinea talis infantis resistere possunt. Ita etiam rarius antecedente capite succedaneo tumor sanguineus existit, quoniam capnt succedaneum modo post partus difficiles oritur, in partubus difficilibus autem plerumque infantes fortes et robusti sunt, qui minorem habent propensitatem ad hunc morbum. Ita plerumque modo si caput succedaneum permagnum in capite infantis debilis ac infirmi oritur, tumor sanguineus postea nascitur.

Similis est ratio, si pars capitis ad os pelvis apprimitur, aut in pelvi incuneatur; in hoc etiam casu plerumque ad causam mechanicam dynamicam accedere opus est.

Rarius etiam aut nunquam sola causa mechanica, affluente sanguine in partem capitis inferiorem, hoc loco tumor sanguineus oriri potest, nisi accedit, ut vasa sanguinea infantis laxa sint, ac parum sanguini affluenti resistere possint. Huc praecique partinere mihi videntur exempla tumorum sanguineorum adnatorum, ubi ossa corrosa inventa sunt 1). Ibi diu ante partum capite infantis debilis praevio in loco infimo tumor sanguineus exortus et tandem sanguine corrupto etiam os ipsum corrosum est.

Quod tandem attinet ad causas, quibus tumores sanguinei infantum oriuntur post partus agrippinos aut ubi clunes praeviae fuerant, ibi etiam mea quidem opinione causa mechanica fuit causa occasionalis, causa dynamica ipsum morbum genuit. Nam exclusis extremitatibus et trunco, praecipue si caput non contractionibus uteri expellitur, sed extrahi debet, ossa capitis et maxime ossa bregmatis comprimuntur et galea aponeurotica super suturam sagittalem complicatur, qua re eodem modo, ut supra sub Nro. I. explicavi vasculum quoddam efferens extensione rumpitur, aut tamen elasticitas eius minuitur. Accedit nunc quod maior copia sanguinis in caput volvitur, cum aër accedens ad reliquas partes corporis, quamvis linteo involutas, ex iis sanguinem expellit, quibus rebus ruptis vasis sanguiferis in cerebro interdum apoplexia oritur, eodem autem modo emissaria Santorini, extensione iam in elasticitate debilitata rumpi possunt, et tumor sanguineus nascetur. Facilius autem, ut iam sub Nro. I. explicatum est, extensione vasa eo loco rumpent, in quo ex osse prodeunt, quoniam hic est locus fixus, in quem omnis impetus cadit, et ubi vasa extendere sese nequeunt. Sin etiam non accurate inter cranium et pericranium vasa disrumpunt, elasticitate sua ad os sese retrahentia tamen eo loco sanguinem effundent.

Aut si, exclusis reliquis partibus, tempus perexiguum caput remanet, ita ut ob eam causam non maior sanguinis copia ad caput affluere potest, tamen post partum respiratione et circulatione sanguinis accelerata, et quoniam apud infantes omnino congestio sanguinis contra caput aucta est, vasa compressione capitis debilitata sanguine ita obruuntur, ut facile aut per rexin aut per diapedesin tumor sanguineus nasci possit.

Iniicere posset aliquis, „hypothesi illa quidem explicari posse, quomodo tumor sanguineus in osse bregmatis nasci, sed minime, quomodo aliis locis.“ Sed mihi quidem videtur, hoc eodem modo explicari posse. Sedet enim tumor sanguineus praeterea in osse occipitali, interdum etiam frontali et secundum Osiander etiam in ossibus temporum. Omnino autem tumor haud procul a fonticulo aut a sutura sedem habet, ubi compressione et complicatione galeae aponeuroticae vasculum quoddam ruptum est. Aut tumor exstitit post partum diffici-

---

1) Cf. Loders Journal für Chirurgie. 2. Bd. St. 4. pag. 627. Palletta Exercit. pathol. Mediol. 1820. Capit. X. pag. 124. 125.

liorem forcipe allata, aut appressione partis illius contra os pelvis. Et plerumque infantes erant debiles, infirmi, aut parvi et saepe immaturi.

In casu proposito hoc mihi modo tumor saugnineus externus exstitisse videtur. Primo omnia alia symptomata: cyanosis, petechiae et icterus dissolutionem sanguinis infantis et eandem ob causam, elasticitatem vasorum minutam indicant. Quibus rebus dispositio ad ecchymosin sanguinis data est. Accessit causa occassionalis, appressio nimirum capitis ad dextrum os ilei, qua re apud dispositionem ad ecchymosin facili modo tumor sanguineus oriri potuit, quem post partum aucto impetu sanguinis in caput, et cum partes forcipe adhibita magis adhuc locus minoris resistentiae fierent, augeri necesse fuit.

Causae tumoris sanguinei interni,

Causam tumoris sanguinei interni in variis rebus quaerere liceat. Primo dicere aliquis possit, per metastasin tumorem internum genitum esse. Sublato enim tumore sanguineo externo operatione facta, et lumine vasorum varicosorum adstringentibus clauso, cum sanguis solitam viam sequens vasa nimis extenderet, rexi aut diapedesi tumorem sanguineum internum ortum esse.

Hoc modo istum fieri posse, haud plane negem, sed neque in casu a Dr. Hoere observato ita erat, nam illic operatio non facta est, neque in exemplo a me narrato, nam hic infans eodem die, quo incisus est tumor sanguineus externus, mortuus est. Et tam brevi tempore tumor tantus nullo modo nasci potuit.

Deinde fieri potuisset, ut morbus ab osse profectus esset, quamobrem et pericranium ab eo solutum et dura mater diremta esset, sed in exemplo a me inducto os quidem molle, non satis ossificatum et nimis rubrum erat, ceterum autem nullum signum morbi primarii tulit, qua re ossificationem incompletam infantis potius infirmitati universali et tardatae evolutioni, cuius etiam inopia adipis sub cute signum fuit, quam topico ossium morbo adscriberem.

Denique tumor sanguineus internus ita fieri potuit, ut tumor sanguineus externus primo et satis longum tempus ante partum adesset, quibus rebus os in incremento impeditum non satis ossesceret tandemque et a periosteo suo interno, a dura matre, solveretur. Hoc certe fieri potuit, si diu ante partum tumor sanguineus externus ortus esset, tum autem caries ossis adfuisset, neque sanguis, sed ichor aut pus ex inciso tumore externo effluxisset. Porro manifestum est, demum inter partum tumorem sanguineum externum adpresso latere capitis ad os ilei, accedente causa dynamica, extitisse.

Verisimile igitur mihi videtur, iisdem causis, quibus tumor externus et internum esse natum, compressione nimirum ac maxime dislocatione, quam ossa parietalia mollia et valde flexibilia pati debuerunt, vasculum aliquod rupisse, ex quo sanguinem inter os et duram matrem, iam antea male inter se cohaerentes, effluxisse. Uter autem horum tumorum sanguineorum

primo exstiterit, an uterque eodem tempore ortus sit, diiudicare non audeo, licet hoc mihi constare videtur, tumorem sanguineum internum etiam statim post partum adfuisse, cum infans asphycticus partus et multa opera recreatus, nec mammam prehenderet, neque urinam mitteret, quod primum est signum tum omnis systematis nervosi affecti, tum etiam praecipue suppressorum virium cerebri.

Reliquum est, ut quomodo haec dissolutio sanguinis et debilitas infantis, quae ut opinor, maximi est momenti ad ortum tumorum sanguineorum, exstisset, evolverem; sed cum ab eadem causa, mea opinione, et petechiae originem duxissent prius de hoc memoratu dignissimo phaenomeno disserendum mihi est.

De Petechiis adnatis.

Petechiarum adnatarum, diligenter in omnibus autoribus illustrissimis, qui de infantum morbis scripserunt, quaerens, nullum exemplum inveni. A plerisque petechiae omnino inter infantum morbos non adducuntur, cum rarissime istam aetatem invadant. Sunt quidem autores, qui petechias in infantibus observarent, ita Remer 1) duo exempla infantum petechiis absque febre affectorum, unum cum helminthiasi sine vera resolutione humorum, alterum cum dissolutione sanguinis coniunctum, describit; et Kieser 2) etiam de petechiis infantum absque febre loquitur, quae a medicis pro pulicum morsibus habitae essent; sed facile intelligitur, non tam tenerae aetatis infantes istos fuisse. Porro hand raro petechiae in febribus malignis, in typho, pesti, febri flava, febribus intermittentibus malignis etc, et partim in his morbis etiam apud infantes observantur, et mihi ipsi contigit, in nosocomio caritatis Berolinensis puellam videre octo circiter annorum, e typho laborantem, quae aliquot dies ante mortem petechias frequentes et etiam icterum adepta est. Sed neonatos petechiis affectos esse nunquam memoriae mandatum reperio. Solus Henke (Handbuch der Kinderkrankh. p. 135) petechiarum mentionem facit, quae ad erysipelas neonatorum accederent.

Hic morbus autem tam manifestus est, ut imperitis etiam in oculos incurrat; credere igitur debeo, rarissimum eum esse, si enim in pluribus infantibus erupisset, mox certe medicis notum fuisset; et tamen a mense Maio anni MDCCCXXVII. usque ad mensem Februarium huius anni quinque exempla ad notionem meam venerunt, neque isti infantes simul in eodem domicilio aegrotaverunt, sed diversis temporibus aut locis; quidam etiam cum ipso morbo nati sunt. Neque in iis, qui aliquod tempus post natum in morbum inciderent, infectio facta esse potuit, cum petechiae afebriles non sese propagent, et ipsae febriles non

---

1] Hufelands und Himlys Journal 1809. Aug. pag. 88 sqq. und 93 et sqq.

2] In eodem 1812. Januar. pag. 75. in der Note.

nisi tactu 1) inficiant, quod ipsum ab aliis negatur 2). Autores 3) epidemicas interdum et endemicas grassari confirmant, sed etiam modo petechias febriles, et si casibus propositis causa epidemica aut endemica subfuisset, morbus certe crebrior fuisset, et infantes hoc morbo affecti ab instituto policlinico universitatis curati essent.

Exanthema igitur sporadice in infantibus, simili conditione natis, ortum est.

Attingere adhuc debeo, ut omnes infantes a morbo correpti virilis essent sexus, quod mihi in eo positum esse videtur, quod pueri neonati plerumque minus tolerare possunt, quam puellae. Ita pueri saepius partubus difficilibus pereunt, quam puellae. Facilius igitur momentis nocentibus iam in eos influentibus pueri aegrotare potuerunt.

Complicationes morbi diversissimae fuerunt. In historia I, III et V icterus etiam neonatorum adfuit, qui vero exanthemate antegresso ortus est. In primo exemplo etiam purpura alba tumorque sanguineus externus et internus, in quarto pemphygus comparuit. Complicationis petechiarum cum ictero et alii mentionem faciunt 4), et icterus a complicatione gastrica derivatur 5). Certe febris petechialis saepe originis est gastricae et saepius adhuc cum febre petechiali complica est et quidem maxime principio signa gastrica, imo vero etiam hepatitidis cum eo coniunguntur 6). Sed icterus recens natorum plerumque aliis causis gignitur, quam adultorum, nec certe in casibus propositis causa gastrica fuit. Venositas sanguinis aucta, ut postea ostendam, utrumque morbum genuisse videtur.

In quinto exemplo sine dubio morbus in cyanosin transiit. Hoc color coeruleus unguium, maculae in palpebra sinistra et auribus, hoc convulsiones, in quibus facies infantis coerulea evasit, ostenderunt, hoc denique status cordis et vasorum magnorum post mortem probat, quae multo sanguine venoso extendebantur, et ubi foramen ovale magis, quam alias, apertum erat. In primo etiam infante cyanosin incipientem sugillationes permagnae in capite probare videntur.

Coniunctio petechiarum cum miliaribus haud rara invenitur 7), et miliaria in febri petechiali saepe crisin adiuvare dicuntur.

Pemphygi autem complicatio cum petechiis nunquam commemoratur, sed facile a

---

1] Neumann in Hufelands und Himlys Journal 1812. April. pag. 113.

2] Stoll Ratio medendi VII. p. 362 tali modo: „Petechias pessimas et miliaria curavi per insitionem diversimode institutam in alios propagare, sed nullum observare contagium licuit."

3] P. Frank de curandis hominum morbis. L. III. §. 315.

4] P. Frank de curandis hominum morbis. L. III. p. 26.

5] Allgemeine deutsche Bibliothek. Bd. XIII. p. 46. Stoll rat. medendi V. p. 381. 382 und 386.

6] Cf. Hufelands und Himlys Journal 1812. April. p. 94.

7] P. Frank l. c. pag. 132.

mala nutritione et rugosa cute infantis, quae causae secundum Jörg 1) pemphygum neonatorum efficere solent, derivatur.

Descriptio petechiarum.

Petechiae in casibus propositis non semper colore eodem sese praesentarunt. Initio magis rubrae fuerunt, perniciosae autem ut in exemplo I et V statim colorem coeruleum habuerunt; versus finem in historiis, ubi exitum bonum habuerunt, pallidiores evaserunt, et in ceteris casibus simul e coeruleo subnigrae.

Forma etiam diversa exsertae sunt. In omnibus his infantibus maculae planae, ut a pulicum morsibus fieri solent, adfuerunt; praeterea in quinto puero maculae sine limitibus distinctis reperta sunt et aethiopica manus 2), (nescio num recte colorem nigricantem brachii sinistri et manus hoc nomine significare possim); in quarto autem infante praeter petechias ecchymomata etiam apparuerunt.

Tempus, per quod exanthema in cute perstitit, ut in morbo non febrili, varium fuit. Plerumque usque ad nonum diem conspici potuerunt; in quinto infante exceptis paucis in planta pedum iam prius evanuerunt. In hoc autem, sicut in tertio puero, paullo ante mortem redierunt.

Decursus etiam morbi varius, in secundo enim et tertio exemplo desquamatio epidermidis nulla exstitit, in reliquis tamen observata est, imo apud primum infantem statim post natum, ubi petechiae adhuc numero augebantur, defurfuratio cutis percepta est. Sed hoc ita explicare potest, ut iam aliquod tempus ante natum in foetu petechiae existerent, quae sese desquamarent. Desquamatio cutis a compluribus autoribus negata in tribus igitur infantibus perspicua erat, quod cum observationibus Doctoris Kieser 3) congruere videtur, aut certe eos refellit, qui desquamationem petechiarum plane negant. Nam si quis sic occurrat, „ob „praematuritatem infantum cutem eorum asperam rugosamque et sine exanthemate desquama„turam sese fuisse,“ aut ita, „non petechias sed aliud exanthema cum petechiis coniunctum „sese desquamasse;“ hoc respondeo:

1) desquamatio non totam cutem occupavit, sed modo eas partes, ubi pleraeque petechiae fuerant.

2) Exanthemata alia, nempe miliaria et pemphygus modo in duobus infantibus adfuerunt, quo igitur modo desquamatio reliqui infantis explicari potest?

3) Miliaria etiam et pemphygus illorum infantum paucas modo partes occupaverunt, cutis autem et in aliis partibus sese desquamavit.

In febre petechiali et etiam in petechiis afebrilibus plerumque paullo post eruptio-

---

1] Jörg, Handbuch zum Erkennen und Heilen der Kinderkrankheiten. p. 494.

2] Cf. Frank l. c. p. 118.

nem exanthematis sopor existit, de cuius causa autores inter se discrepant, cum alii eam ab aucto sanguinis impetu contra caput et cerebrum derivent, alii autem in eo eundem quaerant, quod sanguis dissolutus non iustum incitamentum in cerebrum et omne systema nervosum exercere potest, cuius etiam nutritio a sanguine dependet. Certe utraque causa soporem et affectionem cerebri in hoc morbo efficere potest, qua re alii venaesectiones et apparatum antiphlogisticum commendarunt, alii nervina et excitantia adhibuerunt. Haec affectio capitis hic plane abfuit, praeter in primo infante, in quo autem tumor sanguineus internus culpam sustinuit.

Sed non desunt exempla ab aliis descripta, praecipue petechiarum afebrilium, ubi sensorium commune plane liberum esset. Praeterea etiam scorbutus aliique morbi, qui cum dissolutione sanguinis coniuncti sunt, exempla praebent, in summa dissolutione sanguinis systema nervosum liberum esse posse.

In sectione quinti infantis, quam in initio dissertationis descripsi, nullas maculas petechiis similes in partibus internis invenimus, quae uti quidam scriptores contendunt exanthemate aut frequentissimo in cute stante, aut a cute relapso inventae sunt. P. Frank autem certe gravissimus autor, nunquam se petechias in partibus internis vidisse confirmat. Sed in puero primo, cuius vero sectioni non interfui, multae maculae subgangraenosae colon adscendens et intestinum rectum occupaverunt. Nescio, num hoc petechiae fuerint, sed atonia vasorum aut sanguinis dissolutione universali, mea quidem opinione, si non verae petechiae, sugillationes tamen sanguinis oriri possunt.

Aetiologia.

Causa proxima petechiarum est guttula quaedam sanguinis, quae diapedesi, anastomosi aut rexi inter epidermiden et panniculum adiposum effluit. Ex hac causa forma tam varia et magnitudine utuntur pro copia sanguinis eiusque diffusione.

Causa sanguinis effusi a quinque rebus dependet

I. ab acrimonia quadam genio epidemico procreata. Sed natura eius valde ignota est; hoc tantum scimus, ab ea sicut a scarlatina, morbillis etc. febrem characteris proprii cum petechiis, aut etiam secundum quosdam autores interdum sine petechiis generari. Deinde experientia ducti cognovimus, aërem putrefactione animalium et vegetabilium aut maiore hominum frequentia in angustis locis corruptum, facillime hunc morbum creare posse, quamobrem in regionibus paludosis, in castris, carceribus, navibus, nosocomiis etc. oriri solet.

II. Saburra et sordes primarum viarum, bilis acris in intestinis, vermium irritatio sine dubio petechias in cutem vocare, sicut etiam exanthemata alia efficere possunt. Origo earum ex hac causa eo maxime confirmatur, qnod in his casibus sola methodo antigastrica aut anthelminthica 1) evanescunt. P. Frank peracute haec phaenomena ex consensu intestinorum cum cute explicat, qui a nervis spinalibus dependeret.

1] Hufelands und Himlys Journal 1812. Januar. p. 86. 87.

III. A vasorum sanguiferorum atonia saepissime petechiae in cute prorumpunt. Si enim vasa aut stimulis nimiis, sicut in febribus diu continentibus, aut inopia incitamentorum debilitata minorem resistentiam possident, facile sanguis rexi, anastomosi, aut diapedesi sub epidermide effunditur. Ita Kieser 1) originem petechiarum in eo quaerit, quod in febre petechiali inflammatione cutis vasa capillaria eius gangraenosa evaderent, qua re sugillationes parvae sanguinis existerent.

Eodem modo locali vasorum atonia petechiae eos modo locos occupantes nasci possunt; et huc etiam secundum P. Frank lentigines pertinent, quae apud nonnullos homines tempore aestivo in partibus, quae radiis solis patent, sine ullo detrimento nascuntur et hieme minuuntur aut plane evanescunt.

IV. Ab impetu etiam sanguinis petechias nasci posse P. Frank L. III, p. 121 testatur. Ita origo petechiarum in febre inflammatoria explicari potest, nisi in stadiis serioribus nascuntur, ubi ab atonia vasorum aut a dissolutione sanguinis proficiscuntur.

V. Consistentia sanguinis minuta facile petechias procreat. Aut enim inopia cruoris sanguinis adest, aut abundantia seri sanguinis. Utraque causa sanguis tenuior per parietes vasorum transsudare aut e terminis tenuissimis eorum effundi potest. Ita petechiae in hydrope aliisque in cachexiis, quae cum copia seri sanguinis coniunctae sunt, oriri possunt. Sed non plane persuasum me habeo, num sola serositas sanguinis petechias creare possit, nec oxydationem sanguinis minutam accedere oporteat. Et cum inopia cruoris et abundantia seri sanguinis plerumque cum circulatione sanguinis tarda ideoque etiam cum oxydatione minuta coniuncta sit, quaeritur num petechiae in hydrope etc. non a causa sequenti derivandae sint.

Deinde oxydatio sanguinis minuta petechias procreare potest. Nam inopia oxydationis sanguis coagulabilitatem suam amittit, ideoque facilius e vasis effluit. Sed plerumque cum hac dissolutione sanguinis et imbecillitas vasorum ipsorum coniungitur. Nam sanguis dissolutus non iustum vasibus incitamentum affert, praeterea cum vasa ipsa sanguine ali debeant, a sanguine dissoluto in vasis vasorum male nutrientur et relaxabuntur. Eodem etiam modo ad atoniam vasorum facile dissolutio sanguinis accedit, quoniam ab energia vasorum et cordis circulatio sanguinis eamque ob causam et oxydatio eius dependet.

Cum causae tam diversae petechias gignere possint, nunc quaestio erit, primo, num omnibus casibus propositis eadem causa subjici possit, an singulis eorum diversae causae supponi debeant. Deinde causas ipsas diligenter investigabo.

1) Num causa eadem subiacet?

1] In eodem 1812. Januar. p. 62. 83.

Hanc rem non plane dijudicare possum, usque dum causae ipsae inventae sunt, sed multis rebus, quae apud omnes infantes eodem modo aderant, verisimile fit, ut causa eadem his petechiis subiaceat. Huc pertinent praematuritas eorum, frigus cutis et respiratio difficilis, valetudo matris in graviditate et multa alia.

2. In quaerendis causis petechiarum complicatio cum ictero neonatorum et symptomata systematis venarum portarum obstructi, e quibus magis minusve gravidae laboraverunt, affectionem hepatis infantum indicare videtur.

E singulis igitur morborum historiis, quae hanc opinionem adiuvare videantur, adducam.

Prima gravida fastidium perpetuum carnis et ciborum pinguium habuit et de crebris in regione lumbali doloribus questa est. Infans ictero affecta erat.

Femina secunda ex hepatitide, tertia ex ictero aegrota fuit. Infantes earum e diarrhoea biliosa laboraverunt, tertius etiam ex ictero neonatorum.

Quarta et quinta mulier, ut reliqui omnes, de doloribus lumbalibus questae sunt; infantes alvo viridi et ultimus infans ictero neonatorum affectus erat. Ad has rationes aestimandas necesse est, ut breviter causas icteri neonatorum exponam.

Causae icteri neonatorum.

Medici nonulli, icterum neonatorum non morbum esse sed statum normalem, quem a circulatione sanguinis tam repente post partum aliam viam sequente, et a vi aëris in cutem tenerrimam infantis deducerent.

Morgagni 1) icterum a vena umbilicali, resectione et ligatura funiculi umbilicalis usque ad venam portarum sese contrahente, et ab inopia et circulatione tarda sanguinis in hepate derivat.

Eodemque modo Autenrieth 1) originem eius explicat. Rosenstein et Baumes causam eius in ductu choledoco, qui meconio, muco et sordibus obstipatus sit, in lacte nutricis nimis vetulo et in sanguine funiculi umbilicalis putrefacto quaerunt. Alii, ut Fleisch 2) et Schaefer, ductum choledocum incitamento ciborum insolito spastice contractum causam esse contendunt. Iahn praeter obstipationem ductus choledoci contractionemque eius rationem physicam ad atmosphaeram magni momenti esse dicit. Chambon consensu hepatis cum cerebro, quod compressione capitis affectum sit, icterum fieri, contendit. Permulti autores causam

1] Morgagni de sedibus et causis morborum Epist. 48. art. 59.

2] Autenrieth, Observat. quaedam physiologico-pathol. quae neonator. morbos freq. spectant. Tübingen 1799.

3] Fleisch Handbuch der Kinderkrankh. p. 286.

morbi in perspiratione cutis prohibita ponunt, qua re oxydatio sanguinis magnâ ex parte et a cute dependente minuatur, et hepar e sanguine, propter ea magis venoso, plus bilis secernat. 1)

Alii bilem in sanguine conformatam adesse credunt, icterumque oriri, si hepar functionem suam, secretionem bilis e sanguine explere nequeat. Alii eodem modo icterum neonatorum gigni, quam icterum in febre flava, nam secretione bilis in hoc morbo suppressa sanguinem magis contra cutem fluere, et rexi vasorum capillarium primo petechias, deinde icterum existere.

Henke 2) ortum icteri consensu cutis cum hepate et tractu intestinorum et e nova functione intestinorum explicat. Hufeland has causas icteri neonatorum ponit: refrigerationem infantum, fascias, quibus involuti sunt, humidas, sordes primarum viarum, meconium in intestinis retentum; perturbationem animi, iram et terrorem matris, neglectam eius moderationem in cibo potuque sumendo.

Heyfelder 3) confirmat, in sectionibus foramen ovale patens, ductum arteriosum Botalli et venosum Arrantii apertos, cystin felleam et ductus hepaticos bili tumentes inveniri. Certe igitur icterus neonatorum saepissime eo efficitur, ut pars sanguinis easdem vias sequatur, ut in foetu, cuius rei culpam tria praecique systemata, quae ad decarbonisationem sanguinis serviunt, sustinere videntur.

I, Organa respirationis. Hepar in foetu similes functiones explet, quam pulmones in neonato, quid igitur magis ad naturam consentaneum, quam, pulmonibus in functione prohibitis, plus sanguinis ad hepar fluere, quare hoc organum ad secretionem bilis nimiam impellatur? Propter circulationem partis magnae sanguinis per hepar ductus venosus Arantii, foramen ovale et ductus arteriosus Botalli claudi non possunt.

II, Cutis sine dubio haud ultimum locum in decarbonisatione sanguinis tenet. Functione autem eius laeso, antagonismo qnodam et praecique similitudine functionis, hepar et intestina ad actionem maiorem impelluntur.

III Hepar cum ductibus hepaticis, ductu choledoco et cystico et tractu intestinorum saepissime, si non semper, culpam morbi tenet. Sive hepar directe, sive indirecte affectum sit, ab eo tamen proprie malum dependet.

a) Aut enim idem sanguine obrutum maiorem multitudinem bilis secernit, quo fit, ut cystis fellea semper bili referta sit et in intestinis etiam bilis aggregetur, quae a vasis absorbentibus resorbta in vasa sanguifera reducitur et a vasis capillaribus et exhalantibus praecipue in telam cellulosam et inter epidermiden et panniculum adiposum deponitur.

1] Jörg. Kinderkrankh. p. 507.

2] Henke, Handbuch der Kinderkrankh. p. 132.

3] Heyfelder, Beobachtungen über die Krankh. der Neugebornen. p. 61.

b) Hepar quidem normalem quantitatem sanguinis accipit, sed obstipatione aut contractione spastica ductuum hepaticorum, aut tarda circulatione sanguinis in hepate aut meconio in intestinis retento materies biliosa resorbetur et in sanguinem transducitur.

c) Perturbationes animi, maxime ira nutricis icterum infantis efficere possunt.

d) Forsitan secretio etiam bilis prohibita causa esse potest; tum enim materies, quae alias in bilem transmutantur in sanguine remanent. Sed tum assumere debemus, bilem veram iam in vasis adesse, aut vasa sanguifera cutis functionem hepatis suscipere et bilem secernere posse. Quam opinionem sectio primo a me descripta adiuvare videtur, ubi hepar exile et exsangue et cystis fellea non bili sed muco referta fuit.

Sed causis principalibus icteri neonatorum enumeratis ad petechias revertam. Quaerendum nobis erat, num petechiae affectione quadam hepatis ortae essent, nec ne.

1) Primum affectionis hepatis signum icterum neonatorum adduxi.

E descriptione causarum icteri neonatorum vidimus, eum plerumque a venositate sanguinis aucta dependere, cum aut pulmones, aut cutis, aut ipsum hepar in functionibus impedirentur, aut hepar tantum bilis secerneret, quantum ab organis excretoriis evacuari non possit, quamobrem pars bilis resorpta in circulationem revertat. Semper igitur apud icterum sanguis carbone et hydrogenio abundat. Scorbutus, morbus maculosus Werlhoffii et interdum etiam petechiae ab inopia oxygenii in sanguine dependent, qua re sanguis energiam suam amittit, nec viribus affinitatis elementorum suorum resistere potest. Itaque cum substantiae animales minus ad fermentationem acidam, quam ad putrefactionem propensae sint et praeterea inopia oxygenii adsit, sanguis putrefieri incipit. Iam vero prius, quam morbi hunc gradum adepti sunt, sugillationes et ecchymomata in cute exstant, cum scorbuto etiam et morbo maculoso Werlhoffii, rarius cum petechiis haemorrhagiae coniunctae sunt. In ictero igitur sanguis magis carbone et hydrogenio abundare, quam oxygenio egere videtur, petechiarum autem causam non tantum abundantia carbonis, quam inopia oxygenii tenet. Hoc mihi sanguis e vena missus probare videtur. Nam sanguis icterici serum flavum continet, ceterum non a norma decedit, sed in petechianosi, quae a dissolutione sanguinis profecta est, sanguis lente aut minime coagulat, sed serum flavum non continet, nisi cum ictero complicata est.

Deinde icterus modo in tribus infantibus aderat et propterea non affectionem hepatis omnium horum infantum probare potest. Sectionibus hepar primi infantis exile et exsangue inventum est et cystis fellea non bili sed muco referta. In quinto autem infante, quanquam ex ictero laboravit, in hepate nihil infigne nisi copia bilis in cysti fellea fuit.

2. Deinde alvus viridis horum infantum affectionem hepatis indicare videtur; sed hoc apud infantes nihil praeter consuetudinem est, neque igitur in duobus infantibus, qui ab ictero liberi fuerunt, affectionem hepatis probare possunt.

3. Dolores lumbales gravidarum, qui obstructiones systematis venae portarum indicare videntur, certe hoc quidem, sed nondum affectionem ipsius hepatis, quae si etiam in matribus adfuisset, nihilo minus tamen in infantibus abesse potuit.

4. Vomitus gravidarum et fastidium ciborum pinguium tam saepe adsunt, ut inter signa graviditatis numerentur,

5. Hepatitis feminae secundae. Sed in infante omnia signa affecti hepatis abfuerunt, ita ut hoc supponere non possimus.

Non igitur credo, ab affecto hepate infantum petechias profectas esse, licet non plane negem, hepar forsitan aliquid ad morbum creandum attulisse, cum partim decarbonisationem sanguinis efficiat. Porro negari non potest, obstructiones in systemate portarum et affectiones hepatis duarum feminarum in vasa sanguinea et ipsum sanguinem infantum influxisse. Nam cum in foetu ob oxydationem imperfectam systema venosum praedominetur, haec qualitas sanguinis vehementer adhuc augebitur, si sanguis ipse matris, quo foetus alitur, carbone abundat et oxygenio caret.

Praematuritas etiam infantum multum contulit ad venositatem eorum augendam. Nam pulmones et cutis nondum functionibus suis satisfacere potuerunt. Complures infantum asphyctici nati sunt, in aliis funiculus umbilicalis perdiu pulsavit; infantes nonnulli clamorem debilem ediderunt et respiratio eorum difficilis fuit. Infans quartus ne sugere quidem potuit, et quintus tantum summo labore. Cutis omnium infantum rugosa et frigida fuit, quod partim a respiratione incompleta, partim a debilitate systematis vasorum, ut postea ostendam, derivandum est. In quinto infante perpetuo usque ad mortem respiratio difficilis et sectione lobi inferiores pulmonum ex parte in massam hepati similem transmutati inveniuntur, quae in suppurationem transire coepit, et docimasia pulmonum hydrostatica vidimus, infantem cum hac parte pulmonum nondum respirasse.

Respiratione infantum prohibita oxydatio sanguinis incompleta et circulatio eius lenta evasit, quae res sanguinis dissolutionem efficere possunt. Sed hae causae quae ab infantibus ipsis derivantur non petechias adnatas explicare possunt.

Ad hanc rem explanandam causa secunda sumi debet: atonia universalis et praecipue vasorum sanguinis. Rationes, quae hanc rem confirmant partim a matribus, partim ab ipsis infantibus desumendae sunt.

a, In omnibus gravidis, excepta prima, permulta adfuerunt, quae infirmitatem infantum parere potuerunt.

Femina secunda infirmi corporis quae sine nutricis lacte adolevit, vicesimo primo demum anno aetatis menstruationem obtinuit. Sexies iam partus ederat, inter quos duo partus praematuri essent, ad quos prolapsus vaginae, retroversio et inflammatio chronica uteri eam disposuerunt, et in quibus multum sanguinis amisit. Praeterea morbus hepatis eius sine du-

bio infantem debilitavit. Tertia femina constitutionis etiam infirmae septem iam infantes, pepererat, in graviditate initio e febre intermittente, ac deinde ex ictero laboravit.

Quarta mulier quatuor partus maturos et abortum unum ederat. In hac graviditate circiter mensem totum e haemorrhagia uteri laboravit.

b, Infantes omnes praematuri fuerunt. Quartum infantem tantum menses sex et dimidium mater in utero gestavit; pondus eius circiter libras quatuor effecit et nihilo minus cura diligentissima parentum reconvalescere videtur. Frigus cutis et respirationem difficilem iam commemoravi. Tertius, quartus et quintus infans iam in utero convulsionibus affecti fuisse visi sunt. Omnia haec atoniam vasorum producere debuerunt, quae cum venositate nimia sanguinis coniuncta, mea quidem sententia, petechias procreaverunt.

P r o g n o s i s.

Prognosis petechiarum pro charactere febris, cum qua coniunctae sunt, diversa est. Rarissime criticae in febre existunt, plerumque mali sunt ominis, quoniam atoniam vasorum aut dissolutionem sanguinis indicant. Interdum etiam nullius sunt monenti. A magnitudine etiam earum prognosis dependere dicitur. Stoll 1) his utitur verbis: „Petechiae subinde admodum sunt in„nocentes, etiam non febriles; (puncticulares meliores, latae peiores et saepe letales, non ut „causa, sed ut effectus.«

Deinde quo magis petechiae in nigrum colorem transeunt, eo periculosiores esse dicuntur. Magnum periculum indicant petechiae, quae modo a latere ab oculis percipiuntur, aut quae guttulis atramenti chartae bibulae adspersis similes sunt. Lividiores etiam periculosiores esse dicuntur, quam rubrae, quod exempla a me commemorata affirmare videntur, secundus enim puer, qui maculis rubris affectus fuit, minime aegrotavit et mox plane convaluit. Ortus petechiarum initio morbi pro malo signo habetur, eae quae causa gastrica procreantur semper paene innocentes sunt. In petechiis neonatorum sine dubio prognosis aetate tenerrima aegrotorum peior existit.

C u r a

pro variis morbis, in quibus petechiae apparent et pro causis, quibus exstiterunt, varia est. Sed ultra fines opusculi progrediar, si diversas methodos huius morbi curandi adducerem. Quomodo petechiae neonatorum curandae sint, exempla tam pauca nondum satis constituere possunt. In his autem exemplis, ubi a praematuritate infantum dependerent, alvus evacuanda, circulatio sanguinis incitanda, tonus vasorum augendus, et dissolutio sanguinis tollenda erat.

---

1) Stoll, Ratio medend, VII p. 267.

VITA.

Ego, Joannes Henricus de Lingen, confessioni evangelicae addictus, Bremae natus sum, anno MDCCCII., patre Joanne Philippo, proxeneta, matre e gente de Aschen. Praematura morte mihi, nondum duos annos nato pater ereptus est. Primis litterarum elementis imbutus sum in nostro gymnasio illustri, Directore Cl. Sanders, ac deinde matre etiam dilectissima mihi erepta, in schola cathedrali Raceburgensi, Directore Cl. Russwurm. Mense Octobri anni MDCCCXXIII. in Universitatem Tubingensem me contuli, et Prorectore magnifico Ill. Schrader civium universitatis numero adscriptus sum. Ibi per tres annos medicae artis studio navavi et hos viros illustrissimos de variis doctrinae medicae partibus audivi. Ill. Rapp praelectiones de anatomia comparata et pathologica frequentavi, eiusque demonstrationibus de anatomia corporis humani per dua semestria interfui. Illustr. Bauer artem, cadavera rite dissecandi me docuit. Illustr. F. de Gmelin lectiones de physiologia, pathologia generali et materia medica audivi. Ill. G. de Gmelin in chemia pharmaceutica et experimentali me instruxit. Ab Ill. Cancellario de Autenrieth in nosologia et therapia speciali sum eruditus, praeterea scholis eius clinicis per duo semestria auscultando interfui. Ill. Professorem Autenrieth de therapia universali, de semiotice et diagnostice ac de medicina forensi disserentem audivi, praeterea artem formulas medicas rite concinnandi ab eo didici. Apud Ill. Riecke praelectiones de akiurgia, chirurgia, arte obstetricia et de morbis sensuum frequentavi eiusque in scholis clinicis chirurgicis adfui. Ill. Bohnenberger mihi physicam experimentalem et Ill. Siegwart botanicen tradidit.

Tum autumno anni praeterlapsi in hanc almam musarum sedem me contuli, ubi ab Ill. Rudolphi, Decano, in civinm academicorum numerum receptus sum, eiusque et Ill. Knape auspiciis cadavera in theatro anatomico secavi. Praeterea Ill. Rustii scholas clinicas chirurgicas et Ill. de Siebold obstetricias frequentavi. In praxin etiam medicam Ill. Hufeland et Ill. Neumann, in praxin chirurgicam Ill. de Graefe me introduxerunt.

Tentamine et examine rigoroso peracto, spero fore, ut Illustriss. Facultas medica, hac dissertatione et thesibus meis defensis, summos in medicina et chirurgia honores in me conferat.

THESES DEFENDENDAE.

1. Sanguis vivit.
2. Viae urinariae clandestinae existunt.
3. Liquor amnii nutriendo foetui servit.
4. Placenta decarbonisationem sanguinis foetalis efficit.
5. Docimasia pulmonum hydrostatica interdum fallere potest.



gemahlt v. Müller.